

DISSERTATIO

EXPLICATURA QUAESTIONEM:

AN POSSIT SIMSON CHRISTI TYPUS HABERI?

QUAM

CONS. MAX. VEN. FACULT. TH. IMP. UNIV. ALEXANDR.

PRAESIDE

MAG. GUSTAVO GADOLIN,

*S. S. Th. Doct. Prim. Theol. Prof. Archi-Præp. de Sit Wolo-  
dimiro in IV Classe Equite*

PRO CANDIDATURA THEOLOGICA

PUBLICAE CENSURAE MODESTE OFFERT

CAROLUS FREDRICUS WIDENIUS,

*Phil. Mag. Ad Biblioth. Universit. Aman. E. O.*

In Atrio Ven. Capit. Ab. majori d. XV Dec. MDCCCXXVII.

h. e. m. s.

---

ABOAE, typis FRENCKELLIANIS.





**I**nopinatum sane & mirum nonnullis videbitur, quod liber Judicum, quem haud pauci e fabulis & narrationibus herœ ætatis, auditu sæpe incredibilibus esse conscriptum, ideoque tamquam mythistoricum volumen canæ antiquitatis, historica fide plane carere putant, materiam ad scribendum nobis suppeditaverit. Ea vero potissimum ratione adducti, nobilem illam neque minus arduam & difficilem, quam tenebris involutam multis, nobis sumsimus tractandam, quod nullum reperire potuimus argumentum, in quo elaborando majori voluptate & delectatione versaremur, quam in illustrandis quocunque modo S. Scripturæ memorabilibus. Nihil quidem magis optandum, quam ut omnia a nobis in medium proferenda, elegantiori & pleniori habitu progrediantur; sed fateri convenit, ob penuriam instrumentorum, monumentorum puta, rei provehendæ inservientium, plus simplici vice fuisse nosmet retardatos. Quæ cum ita sint, huic quidem negotio rite obeundo, si non sufficiant, uti non sufficiunt, ingenii tenuitas & curta rerum suppellex, eam abs te B. L. humanitatem eumque favorem, qui adolescentilibus debetur ausis, & animo & verbis expetimus.

Antequam vero ad eam rem, quæ quidem propria est hujus opusculi, tractandam pervenimus, primo, qualis sit ratio

tio & natura libri Judicum, in quo solo vita Simsonis describitur, & quanti igitur sit aestimandus, disputemus necesse est.

Animo attento res ibi narratas consideranti cuique oppido patebit, auctorem, qui genere scribendi utitur historicis solito, si non sublimi, attamen ita perspicuo ac proprio, ut fere nihil occurrat, quod in genere uti rarum & insolitum aut ænigmatis speciem habens, Mythi nomine insigniri possit, non nisi narrare velle & nude ac fideliter ostendere, certas semper præiisse causas, quas casus aut felices aut infelices consecuti sint. Res quoque illæ, in quibus versantur heroum gesta, non magis fabularum similitudinem habent fictarum, quam ipsa facinora; & excepto Simone, viros, qui factis quibusdam præclaris illustribusque nomen & memoriam meruerunt, nullos heic invenimus, qui egerint quid, fide minus dignum, quam quod jam de Mose ejusque coævis relatum legimus. Nec illis nimium eam ob causam tribuimus, quod cum Hercule, Jasone aliisque comparandos non esse credimus, quorum plurima quæ narrantur mira, vix nisi pro fabellis habenda sunt. Liber Judicum vero, facta vitasque depingit virorum in Israël clarissimorum, qui vel plurium rerum gestarum vel singularis cujusdam præclari facinoris fama, quoque post mortem nobilitati fuere. Gentes, Moabitas, Philisteos etc. cum quibus Israël continue & ancipiti successu pugnavit, vere exstitisse, nemini non potest innotescere; unde nescimus, cur narrationes de cladibus, quas intulerint hostibus suis duces Israëlitarum, nullam habeant fidem magisque sint incredibiles quam cetera antiqui temporis bellorum historica, quibus sua haud denegatur veritas. Verum quidem est, omnia eorum acta gestaue signa habere sui temporis manifesta: quod quidem veram & apertam probat esse narrationem; incredibilia vero & prodigiosa, cum a Simsonis discesseris pauculis, nulla nobis esse videntur, unde natura eorum æque facile prehendi potest ac ipsius narratio-



tionis, quam a Mytho quidem alienam, quamvis non omni poetica traditione immunem, esse contendimus.

Si igitur concedamus, Simsonis praecipue historiam, in libro Judd. obscuram esse & ambiguam, atque in gestis illius imprimis causam esse quaerendam, cur nonnulli Interpretes ad credendum propensi fuerint, totum hunc librum mythis, aliisque explicatu difficilibus refertum esse rebus per plurimos; est quoque observandum, S. Scripturam haud paucis in locis obscuritate laborare, fide vero numquam destitui, & praeterea de Simsonis historia, quae brevis & compendiosa ad nos pervenit, nec igitur omnibus in rebus perspicua a) esse potest, ad magnam quidem partem valere ea, quae jam antea diximus: perpendendum nempe, haec tantummodo narrari de pugnis, quae inter Simsonem, sui temporis fortissimum, hostesque suae gentis Philistaeos intercesserunt. Re ita considerata, quisque totam Simsonis historiam non fictam habebit, nec mirum si quid rarum & insolitum in illa occurrat, quoniam & praecleara facta & facinora animadvertenda vel ingenio ejus ambiguo vel indoli nimium vehementi & feroci tribui debere, quis est qui non perspiciat. Haec vero facta, praecipue in fortitudinis speciminibus contra Philistaeos, quibus virtute & animo restitit, consistere videmus, & quorum nonnulla quid tam incredibile dictu vel auditu contineant, ut mirum nemini fuerit si narrationem de iis vel mythum vel fabulam esse quis contenderit; alia autem ejusmodi ut nil quod humanas superet vires ad ea edenda requiri possit. Ex. gr. leonem occidisse dicitur Simson: qui vero cognitionem quandam ceperunt de Oriente, talia quotidie

A 2

il i

---

a) "Ich gestehe, das ich in den Erzählungen von Simson mehr Schwierigkeiten finde, als in allen historischen Büchern des Alt. Testaments zusammen, (das einzige Buch Esther ausgenommen)." Michaelis Recension d. Semler. Untersuchung vom Kanon, exegetisch und oriental. Biblioth. III. Th.

ibi contingere affirmant *b*): cur igitur eum qui de Simsone idem narrat, fabulam, quæ nec veram nec verisimilem rem contineat, nobis tradere voluisse suspicamur?

Summo ergo jure defendimus, librum Judd. quoad materiam quam tractat, (ipsius narrationis fidem mox infra faciemus) in genere ab admistione Mythi vel fabulæ æque esse liberum ac ceteros veteris test. libros *c*). Quamvis enim mythis vel fabulosis quid continere nonnullis visa sit Simsonis historia, summa tamen possumus fiducia ejusdem, cui in præsentī litterarum luce doctorum ingenii ac acumine eminentium virorum studia & labores multum sane luminis addiderunt, auctoritate niti, remoto omni timore ne in fabularum mundo versemur.

Narrat liber jam laudatus, vixisse Simsonem, hominem insoliti non solum roboris, sed etiam agendi & cogitandi solertia mirum & singularem. His naturæ dotibus munitus, saltem eo tempore, dum nil nisi vi & armis ageretur, nomi-  
ne

*b*) Cfr. Lobo's Reise nach Habessinien. Ausg. Ehrman I. Th. S. 155. Bocharti Hierozoicon T. I. p. 753. Ed. II. p. 58. sqq.

*c*) Hoc nobis cum Celb. Hess convenit: "Man würde sich die falsche-  
ste Vorstellung machen wenn man orientalisches mythin auch  
biblisches Erzählen, für ein uneigentliches, mehr dichterisches  
als historisches Erzählen hielte. Der Orient hat freylich von  
jeher einen stärkern und belebtern sinnlichen Ausdruck, aber  
dessen ungeachtet auch eine simple, eigentliche, unpoetische  
Erzählungsweise gehabt, die die Sache natürlich so gab wie sie  
war." - - - - - Der kennet die biblische Geschichte sehr  
schlecht, der sie für eine von Mythen entstellte oder mit  
solchen fast unabtrennbar durchflochtene Geschichte hält."  
Bibliothek der heiligen Geschichte, II. Th. p. 160 & 183. Zürich 1792.

ne & memoria dignus fieri potuit: unde non solum inter æquales suos, verum quoque apud posteros in fama oreque fuit, donec historiographus vitam ejus litteris mandans efficeret, ut nulla unquam oblivione premeretur. Negandum sane non est, in antiquis hisce multa obvenire non satis certa, sed obscura; noli igitur mirari, nostro Philosophica laude nobili ævo, quo partim magnis & gravibus e natura haustis argumentis insistitur, partim a priori rerum causæ & effectus explicari sataguntur, Exegetas de vita & actis Simonis in valde diversas incidisse sententias.

Merito forsitan moneatur, multa quæ in Simsonis historia occurrant, ideo in dubium vocari posse, quod auctor qui eam scripserit, testis rerum gestarum oculatus non fuerit *d*). Negandum neque est quemque narrationi fidem (ceteris paribus) facile habere illius, qui eodem tempore, cum res narrata accideret, vixerit multo magis si eo præsentem acciderit, & præcipue, si narrator uti persona quædam agens, dum evenerit res, ei adfuerit. Ita & illi, qui antiquissimi temporis historiam conscripserint, certioris erunt fidei, ubi ipsos se, aut litterarum documenta, aliis certis indiciiis congruentia, uti testes narratarum rerum citare possint. Quamvis vero hæc magna graviaque argumenta afferre non possit scriptor, ei tamen credendum est, si modo ansa non detur suspicandi mentitum esse eum, aut partium studio aut falsa opinione ductum vel inde deformasse aut silentio præterisse. Quod quidem vel inde colligere licet: si gentium personarumque quarum historiam condiderit, non solum probanda & præclara facta, verum etiam reprehendenda atque turpia, dilucide & ad veritatem accommodate narraverit. Quæ manifestissima criteria, simplicis veritatis amici & fidei digni scriptoris; etiam in libro Judd. de Simsone cujus gesta

---

*d*) - - - - "nur so viel ist klar, dass der Verfasser einige Zeit nach Simson geschrieben haben muss." Einleitung in die Göttlichen Bücher des A. B. von Joh. Jahn, II. Th. I. Abschn. S. 34. Wien 1804.



sta apud veteres Israëlitas, dum adhuc litterarum documenta in gente exstarent vera sunt, uti haud improbabiler vel ex ipso Davide in Carm. 106 & Sam. I. lib. C. 12. colligitur, habita, locum obtinent.

Constat igitur ex ea quae ad nos pervenit historia, Simsonem, robustum illum audacemque & fortem, qui odium, quale dein Hannibal in Romanos, tale in Philistaeos, immane & hostile in pectore gestavit, per XX annos ducem e). Israëliticæ gentis fuisse; eumque tempore, quo indoles populi corrupta fuit depravataque, & vix ullus inveniebatur qui animo forti & magno gauderet f), tempore igitur, quo, omnium quoque bellorum peritissimus dux, operam perderet, ad Israëllem ab Philistaeorum oppressionibus liberandum apparuisse g). In tali igitur rerum articulo, optime quadravit, ut

---

e) Sensus vocabuli *Judicis*, non bene quadrat Hebraico  $\text{דִּיכָר}$  Cfr. Einleit. ins A. T. von J. G. Eichhorn II. Th. p. 485 Leipzig 1781. "Unschicklich ist der deutsche Name *Richter* von einem hebräischen Helden, weil er in einem Sinne gebraucht wird, den er sonst nirgends hat, und nicht auf die Rolle eines jeden derselben z. B. nicht auf Simson passt, und daher leicht zu falschen Vorstellungen verleiten kann."

f) Ex iis, quae Judd. XV. afferuntur, probabili, sane argumentatione concluditur, Israëlitas artis militaris ignaros & timidos fuisse, "perterriti enim hostes suos Philistaeos ad bellum accinctos videntes quærunť ab iis: cur hanc expeditionem susceperint? Respondent hi, ad Simsonem vincendum. Tunc tria millia Judæorum abeunt ad Simsonem in verticem petrae Etam, eumque reprehendunt quod hoc fecisset cum sciret Philistaeos ipsis imperare."

g) "Dass aber Simson seine Stärke, ob sie gleich natürlich war, von Gott, und zwar in der besondern Absicht, den Israëliten vom Drucke der Philister Erleichterung dadurch zu verschaf-



ut vir iis, quibus Simson erat instructus corporis animique viribus, genti Israelis præesset. Apparet nimirum, eum armorum arte, famam sibi nec parasse nec eo parare tempore potuisse, sed insolito suo robore hostibus suis Philistæis terrorem incussisse.

Ex illa imperfectiore quæ ad nos pervenit de eo narratione, cognoscimus, eum certo quidem respectu insignem fuisse; sed oboritur quæstio: num omne quod egerit justum & laudabile sit censendum, nec is quoque scelera commiserit, nomini suo officientia? nam verum quamvis sit, admirationis quid habere pietatis ardorem illum quo commodis nationis suæ consulere voluit, summamque laudem uti laborum & periculorum mercedem justo quidem a posteris consequebatur, tamen e vita ejus apparet, illum ne externe quidem intra honesti limites se semper continuisse, quod celsiorem de eo opinionem valde minuit.

Quod igitur admirationem unicuique movere debet, est, quod haud pauci, non tamen nostri avi, Interpretum, circa vitæ historiam Simsonis versantes, tanti acta gesta que ejus æstimarint, ut Typum Christi eum habendum esse contenderint *h*): Quæ an vera falsave sit eorum sententia, nobis heic diju-

---

fen, erhalten habe, versteht sich von selbst. Und hierin handelte Gott ebenso, als wenn er nach dem Bedürfniss gewisser Zeiten *Genies* erweckt, und ihnen gerade den Grad von Fähigkeiten ertheilet, wodurch sie auf ihre Zeitgenossen das wirken können, was Gott haben will." L. J. C. Justi über Simsons Stärke, in Repertorium für bibl. u. morgenl. Litteratur v. Eichhorn p. 112. Leipzig 1780.

- h*) Vide: Joh. Lightfooti, *Chronica temporum & ordo textuum* p. 52: "Tota vita in eo erat ut, illos (Philistæos) perderet; sed ipsa morte perdidit plures: Typus Christi." *Annotations upon all the Books of the Old and New Testament: London*

dijudicandum proposuimus: Et sine dubio quisque facillime intelliget, Simsonem ex his piis sane Theologis & Interpretibus eam ob causam hoc excelso loco dignum fuisse putatum, quod iis temporibus, argumentis sæpe ab una tantum parte allatis, omnes quæ de eo narrantur res gestæ, ex nobili animo & voluntate profluxisse existimarentur illius, qui a Deo, ad populum suum liberandum electus fuerat. Sed de hac re varie omnino disputari potest: habita scilicet ratione viæ, qua ad id quod cuperet, adipiscendum passim progrediebatur Simson, nec attentionem nostram fugere debet eum pluries, simulac præclarum aliquod ediderat facinus, mox

sce-

---

1657. The Book Judges XIII: 5. Now Samson was a Nazarite by Gods special resignation and command, that he might begin to save his people. And herein he was above all Nazarites a singular type of Christ, and that in many respects. I. He was called, sealed and sanctified even from and in the womb, Luk. I, 35. Heb. 7, 16. II. The end why he was thus set apart and designed was, that he might save and deliver his people out of hands of all their enemies. Matth. I, 21. III. He performed (like Samson) this work of salvation in his own personal strength alone, without the help and assistance of any other. Isai, 63, 1, 2, 3. IV. As Samson prevailed against his enemies in a manner without arms or weapons, so did Christ as wor foretold. Hos. I, 7. V. Christ resembled Samson both in his birth and also in his death. For as Samsons birth was above the course of nature by virtue of Gods power and promise: so Christ also was borne of promise, conceived in a supernatural manner and miraculous manner by the Holy-Gost; and as Samson slew more of his enemies at his death than he had done in all his lifetime: So likewise did Christ." See on Matth. 2, 23. ---- T. C. Lilienthal in die gute Sache der Göttlichen Offenbarung, VI. Th. Königsberg 1755. p. 786. "Und da Simson in seinem Tode den Philistern mehr Schaden zufügte, als in seinem Leben, kann er zugleich als ein Vorbild Christi angesehen werden."

sceleribus quoque & factis minime laudandis notari. Quamobrem antequam illam, quæ hujus opusculi propria est, rite dissolvere possumus quæstionem, maximi est momenti, ut quæ in Simsonis vita præsertim consideranda videantur afferamus i): Et quoniam in aprico est positum, præcipue vaticinium de nativitate ejus in omnium cadere oculos, quale id in Judd. libro tradatur, primo est percensendum.

C. XIII: 2. Fuit vir quidam Sorgæ, e tribu Danitarum nomine Manoa, cujus uxori, quæ propter sterilitatem prolem non habebat, 3. apparuit Angelus Jovæ k), eamque sic est allocutus: scito te quamquam sterilem, tamen gravidam futuram esse filiumque parituram l). 4. Cave igitur ne vinum

B

aut

i) Fuit tempus, quo plurimi S. Scripturæ Interpretes, ad litteram omne quod in textu legitur, explicare voluerunt; unde contigit, ut miracula invenirent, ubi eventus aliis e causis, ad eam, quæ hodie est, rerum notitiam accommodate, facile derivari potuerint. Fuere quoque & adhuc forsân sunt, qui contenderint contendantque, nulla admitti miracula, verum omnia e naturæ legibus explicari debere. Sed utraque horum pars a vero aberravit: nempe hi, textus sensum ex conjecturis trahentes, numquam penitus animis legentium placere valent, illi simplicissimas quoque veritates caliginosæ mentis velo obducere cupiunt. Cum neutro vero horum genere nos consentire, ex animo confitemur.

k) Cfr. Michaelis deut. Uebersetz. des A. T. mit Anmerk. für Ungelehrte, Göttingen u. Gotha 1774. V. Th. pag. 70. "Ein Göttlicher Bote. Der Hebräische Aus-druck ist zweydeutig, und kan so wohl auf einen Propheten als auf einen Engel gehen."

l) Vaticinium de nativitate Simsonis, sine dubio difficilius est explicatu omnibus de eo in Judd. libro allatis: "Die grösste Schwierigkeit macht unstreitig die doppelte Erscheinung vor seinem Empfängnisse K. 13, denn sind wohl solche Wunder



aut siceram m) bibas, nec cibus immundis vescaris, 5. nam  
 gravida fies & paries filium cujus capiti novacula non debet  
 ad-

vor der Empfängniss eines Mannes zu erwarten, der sich den Ausschweifungen der Hurerey, die selbst nach dem Gesetze Mosis ein grosses Verbrechen und Abscheu vor Gott ist, ergiebt, um die Rache, die er sich für die Beraubung seiner Augen am Ende selbst verschafft, nicht zu gedenken; denn diese könnte man wohl seiner Lage, seinem Zeitalter, und gegen die Feinde seines Volks, zu gute halten. Indessen könnten doch seine Erscheinungen auch nicht bloss Erdichtungen oder eitle Sagen gewesen seyn, denn in diesem Falle möchte sie die Schriftsteller wohl weggelassen haben." Einleit. in die Schrift. des A. B. von J. Jahn. II. Th. §. 37. -- -- Hæc, auctoris libri cui inscribitur: Recherches sur l'origine du Despotisme oriental, nimium libera sententia ne refutari quidem mereatur: "Plusieurs de ces Heros & de ces Sages de la Theocratie Judaique - ont été les enfans du femmes steriles, qui devoient miraculeusement enceintes, après avoir invoqué le Seigneur. Tels fut entre autres un *Samson*, dont la mère fut fecondée par les paroles d'un homme de Dieu. On ne peut raconter avec plus de decence que fait la Bible, des actions aussi indecentes; mais il faudroit être aveugle pour n'y pas appercevoir toute l'iniquité du mystere."

- m)  $\Psi\Omega$  videtur comprehendisse omnem potum qui potest inebriare. Cfr. E. T. C. Rosenmülleri Scholia in Vet. Test. pars prima Lipsiæ 1788. Lev. X: 9. "Proprie & vi formæ est potus, quo continuo & copiose sumto inebriatur." Hieronymus in Epistola ad Nepotianum: "Sicera Hebræo sermone omnis potio quæ inebriare potest, sive illa quæ frumento conficitur, sive pomorum succo, aut cum favi decoquantur in dulcem & barbaram portionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisque frugibus aqua pinquior coloratur. -- Aegyptii enim antiquissimis temporibus ex hordeo potionem vino similem faciebant, ut testatur Herodotus Lib. II. C. 76, *οινορ δε εκ ριθεων πεποιημενω διακρουονται.*

admoveri, Deo enim dicatus *n*) erit a nativitate sua, isque liberabit Israëlitas a Philistarum oppressioibus."

Licuit ergo unicuique in antecessum opinari, illum, de quo venturo tam sollemniter predictum esset, splendidum hac in vita futurum, posteramque aetatem memoriam ejus veneraturam. Inexpectatum propterea et mirum videbitur, eundem, qui favente Deo adoleverat, v. 24 o) et mox deinde vim divinam quæ in eo esset ostenderat, v. 25 p) libidinum tamen imperio se subjecisse et in flagitia ingurgitasse.

B 2

Præ-

*n*) Noto quidem notius constat, duo fuisse genera Nazireorum, aut enim a Deo iam antequam nati erant, electi fuere Naziratusque per omne vitæ tempus iis injunctus, aut parentes, nonnumquam etiam ipsi se per breve tempus Naziratu obstrinxerunt. Moses legem ferens de Naziratu: "Cunctis diebus voti separationis suæ, novacula non ascendat in caput suum donec expleti sunt dies." His igitur ut optime unicuique apparet, minime favebat, verum leges finxit varias quæ quodam modo obstarent ne in posterum frequentius hæc tam facile edirentur vota. Simson vero, uti "Nazir Jovæ a nativitate sua usque ad mortem," ad idem genus referri non quidem potest. Cujus præterea indolis fuerit secta Nazireorum, quorum apud Mosen sit mentio, adhuc inter nos non liquet. Cfr. Less de Naziratu in J. D. Michaelis neue Oriental. u. Exeget. Biblioth. 6 Th. N. 115.

*o*) נָרוּ fortunavit id est, *singulari animo et fortitudine instruxit*. Apte omnino Angl. "Indued him with an heroick spirit." Qua vero utitur interpretatione Clb. Michaelis: "die-ses scheint zum Theil auf die uebermenschliche Leibesstärke - - - zu gehen" nostro saltem judicio non congruit.

*p*) רוּחַ יְהוָה *spiritus Jovæ*, forma loquendi in hoc libro sæpe obvia, melius forsitan reddi potest: *indoles egregia* aut *virtutes excellentes*, quarum Hebræi Deum dicunt auctorem im-

Præterea historia primæ ejus adolescentiæ nos omnino latet. Prima notatu digna res et quidem ætatis juvenilis, est quod narrat auctor, cum aliquando Thimnam venis-  
se, ibi puellam quandam Philistæam vidisse, redisseque deinde ad parentes suos rogaturum, ut eam sibi in matrimo-  
nium consiliarent. Ut varias omittamus commentatorum sen-  
tentias, inter alias eorum, qui levitati quoque hoc tribuere  
voluerint, satis erit afferre, parentes huic filii petitioni ad  
adsentiendum non fuisse propensos, verum ea audita obstu-  
puisse, et ut potius inter populares uxorem duceret, sibi esse  
in votis significasse. Sed pervicacem quoniam et obstina-  
tum ejusdem animum jam antea forsitan experti fuerant, desi-  
deriis ejus indulserunt. Inter ipsa vero nuptiarum solemnia,  
ira ardens, Philistæos, cum quibus nuperrime affinitatis vin-  
culo junctus erat, valide experiri fecit, se ob fortitudinem et  
audaciam vehementer esse timendum. Cum nimirum, ut ul-  
terius narratur, ænigma, quod iis proposuisset solvendum,  
fraude et insidiis uxoris explicassent, iratus Ascalonem abiit,  
ubi triginta Philistæos occidit. Hæc vero prima postquam  
juventutem excesserat, suoque arbitrio, parentum tutela sub-  
du-

---

mediate eas producentem. Et ut Hebraeis, ita quondam Grae-  
cis, quævis virtus ab *afflatu* quodam divino prolificisci crede-  
batur; alterum enim bellicas artes, alterum musicam e. s. p.  
Dii docuerant: *Ὀυνεκα τοι περίδοσε θεὸς πολεμῆια ἔργα - - -*  
*ἄλλοι δ' ὀρχηστῶν, ἕτεροι κινῶσιν καὶ αἰσθῆν*

II. N. 727.

- - - τῆ δ' ἐμπνευσε μενος γλαυκῶπις Ἀθήνη.

II. K. 482.

"Allein eben das Wort, das Geist bedeutet, kann auch von jedem heftigen oder erhabenen Affect gebraucht werden, ohn-  
gefähr so als wenn wir sagen, *er hat den Geist, die und die*  
*grosse That zu vollführen.*" Michaelis Anmerk. z. B. d. Rich-  
ter, III: 10, & dein XIII: 25. "Hier werden wir wohl nicht  
an unmittelbare Eingebungen des heiligen Geistes zu denken  
haben, denn viele der Handlungen Simsons die in den näch-  
sten Capiteln erzählt werden sind so, dass man sie dem heil-  
igen Geiste nicht zuschreiben kann."



ductus, agere cœperat, violentum atque immansuetum Simsonis ingenium ferosque mores satis demonstrant. Sævum enim et atrocem putabimus hominem qui, levissimas quoque injurias morte inferenda ulciscatur; nec juste quidem contendendi potest, Simsonem, cum his se inquinaret cædibus, veram Dei gloriam respexisse, quia putaret suum esse, ut Philistæos, paganos et idolorum cultores, radicitus, uti mos tum erat, extirparet. Vehementissima vindictæ cupidine flagrasse videtur, quam incensam numquam comprimere voluit, verum ei et clam et aperte parere: Sic trecentorum Schakalum q) ope segetes Philistæorum combussit; facinus sane animadvertendum et minime decens. Dicunt quidem, qui famam ejus defendendam susceperunt, omnes has ejus artes divinæ esse adscribendas directioni, ideoque eum occasionem Philistæos, qui tum temporis Israëlitis imperabant, infestandi ubique quæsisse, et eo magis in hac sententia esse manendam credunt; quoniam in eandem auctor libri Judd. loquitur. Offert se vero heic, quod scriptor laudatus haud ambigue ostendit, omnia hæc sordida conamina et acta ab animo ejus impetuoso profluxisse; et quamvis quisque libenter concedat, odium quod cum omnibus Israëlitis in Philistæos gessit commune; effecisse, ut ira ei vehementer excaudesceret, attamen in eo hæc agente, non nisi privatum hominem, injurias sibi injunctas ulcisci cupientem, deprehendimus.

Erat

q) Ut Michaelis & alii nonnulli, ita & nos utimur denominatione Schakal vel Schual. Hallucinari enim nobis videntur qui vertunt *vulpes*. Schakal vero (Germ. Strauchfûchse) vulpium quaedam est species, quas majori copia invenitur in Galilæa, cfr. Hasselquist, Dissertat. Acad. de Vulpibus Simsonis, Praes. Celsio, Bocharti Hierozoicon - - "Wenn man nicht Strauchfûchse, sondern eigentliche Fûchse versteht, so trägt man freylich eine grosse Schwierigkeit in die Erzählung über." Jahn, Einleit. II. Th. I. Abschn. p. 201.

Erat vero hæc, quamvis non bellica virtus, attamen fortitudo, qua sibi principatum comparavit; quem quo tenuerit modo nescimus. Nec ante hoc tempus quid de libidinosa et impudica ejus vita occurrit. Versatur enim historiæ ejus scriptor in enumerandis rebus gestis, quæ e robore ejus insolito emanarunt, et quarum justa explicatio sagacissimis quoque Interpretibus, ingentem disputandi materiam præbuit.

Jam ex antecedenti concludi potest, nos ad sententiam eorum probandam haud esse faciles, qui sollerti sagacique mentis putent acumine eas quoque in S. Litteris traditas res, quas nemo explicare potest, ita esse illustrandas ut in iis nil restet miri. Si igitur interpretatione aliqua non litterali, haud pauca obscura loca ornatius et planius exponi posse largiamur, non eam tamen novitatis suæ gratia susceptam volumus, sed quia salva omnium fide probari potest. Hanc interpretandi methodum, præcipue de rebus gestis Simsonis valere debere diximus. Eam sequentibus, non intellectu difficile manebit ex. gr. quod C. XV: 15. de eo narratur r); et si comparisonem instituimus cum aliorum robustissimorum gestis, quorum memoria ad nos pervenit s), haud præter-

---

r) Verb.  $\text{נָס}$  in genere quidem significat *læsit* dein cecidit, occidit, heic vero melius vertitur *fugavit*. "Ich habe mich bemühet den Worten die Zweideutigkeit zu lassen die sie in Hebræischen haben - - - Die Worten können aber auch einen andern Sinn haben, 1000 Mann schlagen, kann seyn, 1000 Man überwinden und in die Flucht schlagen." Michaelis Anmerk. zum B. d. Richt. Absurdum enim esset contendere, eum solum, nec adjutum sociis vel popularibus, fortitudine ejus aut fortuna excitatis, hanc stragem hostibus inferre potuisse.

s) Sic incredibile prope erat corporis robur Augusti II: Poloniae Regis. -- Junius Valens -- teste Plinio -- "vehicula culis onusta, donec exinanirentur, sustinere solitus, carpenta

ternaturali t) robore eum ornatum fuisse videbimus. Et quamvis igitur præternaturale membrorum ejus robur habendum esse non credimus, attamen omnia ejusdem specimina in falsitatis suspicionem cadere non debent, quoniam insolitum id fuisse nemo negabit.

Inter hæc vero fortitudinis roborisque documenta, vita Simsonis ita depingitur, ut judicium de eo præclarum pronuntiare minime possimus. Etenim, qui Cap. XVI perlegerit, veritatis amore impulsus facillime nobis concedat necesse est, vitam hanc dissolutam atque luxuriosam, cui fuit deditus Simson, non decere virum sanctum et venerabilem. Quare non convenit inter nos et alios permultos, qui partium studio ducti, omnia quæ ei crimini dari possint, defendere sategerint u).

Quam-

---

manu apprehensa una manu retinere obnixis contra nitentibus armentis, & alia mirifica facere, quæ insculpta in monumento ejus spectantur."

- t) Quamvis neque in hac causa jure citatur Clb. Bauer, Interpretis elatioris ingenii vi ultra modum fretus, tamen haud damnanda hæc illius sententia: "Und wem und wozu soll sie (die übernatürliche Stärke) Gott ertheilt haben? Denn wenn Gott Wunder thut, so dürfen wir ihm einen weisen Zweck zutrauen, und die Veranstaltung, dass ein vernünftiger Gebrauch von seinen Gaben gemacht werde - - Hier ist sie einem rohen und wilden Sohne der Natur ertheilt, der senget und brennet, raubt und mordet, weil er es für verdienstlich hält, den Feinden seines Vaterlands für sich allein so vielen Abbruch zu thun, als er durch seine Bravour vermag; - - - Kann man es wahrscheinlich finden, dass Gott übernatürlich einen solchen Menschen unterstütze und stärke?" Hebr. Mythologie des A. u. N. Testaments II. Band. Leipzig 1802. p. 60.

- u) Vide ex. gr. Anmerk. zur Ehre der Bibel von Tobler. Fünfft. St. Halle 1778.



Quamvis igitur illi qui maxima laude et veneratione dignam personam Simsonis putavere, enixe contenderint, eum non solum typum fuisse Christi quoad nativitatem ac mortem, verum etiam magnam inter eos ambos in eo apparere similitudinem, quod ad unum eundemque finem, liberationem nempe et salutem populi sui, spectaverint et laboraverint, attamen oppido patet, si comparationem utriusque vitæ instituisent, maxime dissimilem mentem voluntatemque ex actis et gestis eorum elucescere. Ut vero æquum fiat de morte Simsonis iudicium, maximi sane est momenti ut an eadem ratione ac Salvator Sanctissimus in agendo versatus fuerit, quodam modo enucleetur, eoque facilius quisque comperiet an eadem mente uterque vitam profuderit: cum is, qui in omni genere scelerum et flagitiorum per totam vitam se volutaverat, eam eodem animo potuisse deponere ac qui minimis quoque hominum desideriis satisfecerat, ne cogitari quidem potest.

Breviter supra monita sat superque probabunt, pari loco cum Christo Simsonem minime haberi posse: illo videlicet quem adversariorum iniqua odia et maledicta insectabantur et semper petebant, manserunt tamen cum hominibus versante, supra modum miti, atque sic non solum detestationem et contentum evitante, sed id quoque efficiente, ut vel osiores sui infestissimi eum revererentur, utque omnium animos in se convertens, quod sibi e consilio sublimi ac vere divino erat, obtineret; quem v. c. Pharisei, uti diem dominicum negligentem, legesque et ritus antiquos sanctos abrogare volentem, et fanaticorum erroribus foventem, frustra accusarunt; qui falsis talibus criminibus laceratus ab opere suo haud desistens, nec ultionis cupidus, sed uti laborum ita et dolorum patiens, dixit se non venisse, ut gloriam sibi vindicaret aut adversarios suos puniret; verbo, qui talem et tantum se præbuit, ut et divinæ voluntatis et humanorum desideriorum, omnes partes expleret: et hunc, cujus vitam

moresque haud conciliari posse cum iis quæ æternæ veritatis, decori leges jubent, ex antecedentibus patet, ac ulterius mox demonstrabimus.

Nimirum, ne simus æquo longiores, quis probaverit hæc Simsonis verba: "mori cupio cum Philistæis" XVI: 30? Quis putet sanus ea quæ eodem com. afferuntur, "plures fuisse quos morte perderet quam quos in vita sua interfecisset" ita explicari posse, ut typus Christi ille idem ferox et rudis Simson habeatur? *w*). Quod omne extra dubitationis aleam posituros nos speramus, ubi examinaverimus, qualis fuerit mors Simsonis, et quo eam contraxerit consilio?

Cum nemo ratione & mente præditus, ulla conditione homini, mortem in se festinare licere, contendat, neque nos Simsonem laudare possumus, quod ægre, quos passus fuerat injurias ferens, jam oculorum luminibus violenter orbatus, secum statuerit, vitæ, in qua nulla eum amplius tenuit spes, dolores morte finire. Quamvis igitur suicida jure dicatur Simson, attamen ii sunt, qui nefas ducant, eum hujus sceleris reum habere. Observandum nimirum esse dicunt, illum, qui in Philistæos omnia hostilia semper ausus erat, hostis

C

locc

- w*) "Not was this a despairing speech of one impatient in respect of his miseries to live any longer, but of a faithfull man humbling himself even to te death, that he might do God service, and that not in an ordinary way, but by an extraordinary motion of holy Gost inspiring him and suggesting unto him this prayer. Wherein Samson was a type of our Lord Christ, who humbled pimsel to the death, that he might save his people out of the hands of all their spiritual enemies. Phil. II: 8. - - - Herein also he was a figure of Christ, who by his death overcame Death, and him that had the power of death, the Devill, with all the power of hellk Hebr. II: 14." Annot. on the Boock of Judges.

loco ab iis tractatum & misere afflictum, ex justo hostilem quoque animum in eos fovere potuisse, & sic quidem magnificum & gloriosum ei reputandum, quod vitam pro patria ita profuderit, ut simul damnum hostibus suis inferret. Eo vero magis vacillat hocce argumentum, quo certius probari nequit, eum in vitæ ultimo momento pro patriæ commodis se in pericula capitis atque vitæ discrimina coniecisse, quin potius seditioso & turbulento animo instigatum. Et expressis omnino verbis res in Cap. XVI: 28. ita narratur, ut dubitare non liceat, cupidinem injurias ulciscendi propriam fuisse causam, cur se devoveret. Nec igitur, nisi tali cupiditate incensus, Deum precatus est, ut ejus auxilio a Philistæis *amborum oculorum* x) multam sumere posset. Nam idoneis omnino argumentis videtur destitui, quod nonnullis placeat, Simsonem, quia Israëlitarum imperio tenebantur Philistæorum, id spectantem ut rebellionis aliqua suspicio in eos non caderet, unde fieri posset, ut pœnis affligerentur, solius sui non populi, ultorem & vindicem, se mortem appetendo simulque Philistæorum multis inferendo, simulasse y). Etenim apta quamvis hæc explicatio illis obvieniatur qui ne minimis quidem Simsonem urgeant vitiiis, sed omnia ejus, vel scelera negent, aut sive excusent sive laudent quoque, uti mala quædam necessaria quorum ope populi sui salutem consulere debuit, attamen illa interpretatio neque historica nititur certa in hac re traditione, neque per se probabilis est, sive ex iis quæ vulgo hominum sunt sive ex iis quæ ceterum de Simsone narrantur. Nec multis turpibus ubique deditum eum & dissolute viventem iraque semper indulgentem, facile putabimus, privatum libertate & visu z)

mor-

---

x) Judd. XVI: 28.

y) Cfr. Lilienthal die Gute Sache der Göttl. Offenb. VI. Th. §. 203.

z) Optime Clb. Milton, Samsonem suum Agonist. miseriam suam magnam vehementer dolentem describit:  
"Suffices, that to me strength is my bane,



mortem sibi, non nisi ut suorum rei satisfaceret, adscivisse. Quæ quamvis plerisque probetur interpretatio, fuerunt tamen, qui ultimum illud Simsonis facinus defenderent ut imprimis profectum e flagranti studio majestati gloriæque Dei & commodis patriæ inserviendi. Quare cum humanum sit ac interdum forte laudandum, omni re desperata, mortem turpitudini & servituti antepone, nec Simson iis visus est vituperatione dignus, quod & suam & suorum rem ulturus, dies finiret suos. Verum quidem est, hominem infelicitatis oneri succumbentem, in varia sæpe delabi vitia; sed hoc tale quid, Simsoni laudi cedere, quis contendet? *aa*).

Positis his, restat ut videamus, num possit Simson, morti se tradens, cum Christo comparari? — Constat inter Paulum, Rom. V: 6—8. & alios N. T. scriptores, Jesum, peccatorum loco *bb*), nulla vi coactum, subiisse mortem

C. 2

cc), 3

---

And proves the Source of all my miseries  
 So Many and so huge, that each apart  
 Would ask a life to wail, but chief o fall  
 O loss off Sight, of the I most complain  
 Blind among Enemies, o worse than chains,  
 Dungeon, or beggary, decrupt age!  
 Light the prime work of God to me is extinct.  
 And all her variances objects of delight annulled --"

*aa*) "Er sagte nicht: ""Stärke mich dass ich dein Volk befreye""  
 "sondern -- ""stärke mich, dass ich mich für meine beyden  
 Augen an den Philistern räche!"" "kann man Privatrache  
 deutlicher bezeugen; und muss da nicht das Herz auf äusser-  
 ste erbittert seyn, wo es sogar den Tod, selbst den Tod nicht  
 scheut, um nur nicht ungerochen zu bleiben." Charakteristik  
 d. Bibel von H. A. Niemeyer, III. Th. pag. 496. Halle 1777.

*bb*) Vocabulum ὑπερ verti potest in salutem, ex. gr. Col. I: 24,  
 ubi Paulus de se ipso loquitur. Sic & aliis nonnullis N. T.  
 locis: Joh. VI: 51, ἡ σαρξ μου ἐστίν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπερ τῆς τῆ

ec), quam, cum in antecessum ipse de ea loqueretur, maxime semper momenti esse dixit, nec tantum a se, nec ideo decretam, ut supernaturale animi suum robur eluceret, & divina sua misericordia ab hominibus celebraretur. Describitur hæc mors piacularis, ut a Patre statuta, dixitque Jesus, se vitam suam pro ovibus ponere, quoniam hoc Patri gratum, & quoniam illius omnia consilia & decreta, ad salutem generis humani tendentia, ei nota erant. Unde quoque discipulis suis prædixit, sibi his in terris multa esse perpetienda & violentam demum mortem subeundam; illosque ergo monuit ut a se exemplum caperent, quos etiam iniqua mansura erat sors, nec unquam desperarent, quoniam qui eum sequi vellet, sui suorumque commoda deserere paratusque esse deberet ad omnes calamitates ob religionis Christianæ professionem perferendas. Gravissimis igitur argumentis religio nostra urget, Patrem, immensam suam caritatem manifestaturum, crucis morti filium obtulisse, Christumque eadem morte sua promissionem vitæ æternæ obsignasse. Nullo hinc modo cum Christo Simson, qui & vitæ tædio captus & aliud illicitum consilium exsequens diebus suis finem imposuit, comparari potest.

Quam

---

κοσμου ζωης, corpus est meum, quod praebeo (scilicet vexandum) pro vita mundi i. e. in salutem hominum. Sed uti 2 Cor. V: 20, significat, vice, loco, nomine alicujus, ὑπερ Χριστου ἢ προσηγορευομεν, nos igitur legatione fungimur pro Christo, i. e. loco Christi, ita & heic eundem esse sensum credimus; & quoniam jure quidem Rom. V: 7. ὑπερ δικαιο και αγαθο, vertitur: pro justo & benefico, nec credibile est, Apostolum v. 6. verbis ὑπερ ασεβων και ἀμαρτωλων alium junxisse sensum. Vide ultr. Döderlein Institut. P. II. p. 415. edit. 6. "Vix alicuius pro justo s. homine innocente vitam offert: pro viro bono s. benefico forsitan aliquis mori sustineat. Quid igitur his exemplis, αποθνησκειν ὑπερ δικαιο denotat ----- Ad hæc autem exempla planissimum sit consilium operis & mortis Christi, qui ὑπερ ασεβων απειθανε, vita se abdicavit ut impiis parceretur, ac sibi lethale vulnus infligi haud recusavit, ut illud a capite peccatorum averteretur."

ec) Joh. X: 15.

Quamobrem absurdum & confessioni Christinæ contrarium erit contendere, Simsonem morte sua liberasse nos a metu mortis, ac diabolum, qui ex opinione Judaica imperium mortis tenebat, vi & potestate privasse, & sic quidem verba Apostoli Ebr. II: 14, de Simsone interpretari. Nam hæc quæ nonnisi a divina persona agi potuerunt, in Simsonem nullatenus quadrant. Et quamvis is ipso mortis momento hostes perdiderit plures quam per totam suam vitam, eoque facinore magnam reliquerit sui famam, & licet concedendum sit, cum horribili hac strage, fortitudinisque suæ exemplo hostes in eam sententiam induxisse, ut inter populares ejus multi forsitan invenirentur, qui eodem animo magao & pertinaci perniciem iis struere valerent, & sic quidem rem eo pertulisse, ut sibi cavere cœperint Philistæi Israëlitisque magis parcere; ex quo igitur ejus facto magnos sane fructus patria ejus, quin etiam aliquomodo vera Dei religio, capere potuit, unde quoque ab Apostolo Paulo inter eos numeratur, Hebr. XI: 55, qui quamvis omnibus suppliciis tentati, non defecerint: tamen in eodem Simsone nil humanas vires superans videmus.

Quamvis vero Simsonem talibus ornatum fuisse virtutibus aut meritis, ut, si non typus Christi sed probus saltem & imitatione dignus habeatur, haud comperiamus *dd*); attamen historiam ejus legenti non totus quantus is displicebit. Videmus nempe eum, heroem & membrorum robore ac animo forti utilissimum quidem genti suæ esse potuisse; sed quia adolescens voluptatibus se dederat, & maturam ætatem nactus, officia sua contempsit, imaginem expressit hominis infirmissimi & vitiis obnoxii. Vitæ igitur morumque exemplar quoniam nunquam fieri potest, nec alio consilio historiam

---

*dd*) Optime de eo Michaelis in Anmerk. zum Buch der Richter p. 129: "Ueberhaupt müssen wir gleich zu Anfang merken: Simson war ein tapferer Mann, oder viel mehr ein Wunder der Tapferkeit, aber kein tugendhafter kein moralisch guter Mann."



riam ejus scriptam credimus, quam ut ansa præberetur ostendendi, quantas sibi creare possit calamitates is, quicumque animi sui cupiditatibus impurissimis indulgens, vitam agat peccatorem.

Sed docet nos historia, paucos fuisse Principes gentis Israëlitiçæ, qui Dei præscripta servarent, ejusque consilia semper exsequerentur, attamen quodammodo eorum quisque genti suæ profuit; quo quidem respectu Simson argumentum est firmissimum, Deum miris sane præsidiis usum fuisse ad ruinam a posteris Abrahami avertendam.

Jam paucis postremo verbis, ut ea quæ in historia Simsonis prostant, comprehendamus, e quibus quo loco habendus sit, definiendum, fateamur necesse est, quidquid dicant aliter sentientes, eum nec ejusmodi virtutibus & moribus commendari ut ulla ratione cum Salvatore sanctissimo comparari possit. Quod nostrum plurimis ratum haberi judicium speramus. Nec nostro tempore multis placebit, irritus scilicet conatus, Simsonem uti typum Christi defendendi, qui quidem labor frustraneus si ab aliquo susciperetur, detestationem aut saltem risum moveret sanorum omnium alma culturæ luce collustratorum. —